

uti hęc proferam, sed ũt tacita mecum gaudeam.

PA. numquam tam dices commode ut tergum meum
tuam in fidem committam. *PH.* ah noli, Parmeno :

35 quasi tu non multo malis narrare hoc mihi 110

quam ego quae percontor scire. *PA.* (vera haec praedicat
et illud mihi vitiumst maximum.) si mihi fidem
das te tacituras, dicam. *PH.* ad ingenium redis.

fidem do : loquere. *PA.* ausculta. *PH.* istic sum. *PA.*
hanc Bacchidem

40 amabat ut quom maxime tum Pamphilus 115

quom pater uxorem ut ducat orare occipit
et haec communia omnium quae sunt patrum,
sese senem esse dicere, illum autem unicum :
praesidium velle se senectuti suae.

45 ill' primo se negare ; sed postquam acrius 120

pater instat, fecit animi ut incertus foret
pudorin anne amoris obsequeretur magis.
tundendo atque odio denique effecit senex :
despondit eĩ gnatam hui(u)s vicini proxumi.

50 usque illud visum est Pamphilo ne utiquam grave 125

donec iam in ipsis nuptiis, postquam videt
paratas nec moram ullam quin ducat dari,
ibi demum ita aegre tulit ut ipsam Bacchidem,
si adesset, credo ibi eiu' commiseresceret.

55 ubiquomque datum erat spatium solitudinis 130

ut conloqui mecum una posset : " Parmeno,
perii, quid ego egi ! in quod me conieci malum !
non potero ferre hoc, Parmeno : perii miser."